Fragmentarium

Quos celesti munere. Postcommunio.
Quos celesti recreas munere perpetuo domine comitare presidio: et quos fovere non desinis, dignos fieri sempiterna redemptione concede.

Quos celesti munere. postcõ

Q uos celesti munere domine refectos, divina tuere virtute: ut tuis misteriis perfruentes nullis subdantur adversis. Per. Ad missam pro rege officium.

P rotector noster aspice deus et respice in faciem christi tui: quia melior est dies una in atriis tuis super milia. Ps. Alleluia alleluia. Ps. Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum: concupiscit et deficit anima mea in atria domini. Oratio.

Q uesumus omnipotens deus ut famulus tuus rex noster N. qui tua miseratione suscepit regni gubernacula virtutum etiam omnium percipiat incrementa quibus decenter ornatus et viciorum voraginem devitare et hostes superare, et ad te qui via veritas et vita es: graciosus valeat pervenire. Per. Epistola. Orationem faciebant sacerdotes. ut supra in missa pro pace. Gradale. Salvum fac servum tuum deus meus sperantem in te libera me. V. Auribus percipe domine orationem meam. Alleluia V. Eripe me de inimicis meis deus meus et ab insurgentibus in me libera me. Evangelium. Amen dico vobis: quia si quis dixerit huic monti tollere. ut supra in missa in tempore belli. Offertorium. Exaudi deus oracio. ut supra in missa pro fratribus et sororibus. Secretum.

M unera quesumus domine oblata sanctifica et ut nobis unigeniti tui corpus et sanguis fiant et famulo tuo regi nostro N. ad optinendam anime corporisque salutem et ad peragendum iniunctum sibi officium te largiente usquequaque proficiant. Per. Communio. Amen dico vobis.

H ec domine salutaris. postcõ.

H ec domine salutaris sacramenti perceptio famulum tuum regem nostrum N. ab omnibus quesumus tueatur adversis: quatinus et ecclesiastice pacis obtineat tranquillitatem: et post istius temporis decursum ad eternam perveniat hereditatem. Per. Item alie orationes pro rege et regina. Oratio.

D eus in cuius manu corda sunt regum. qui es humilium consolator et fidelium fortitudo et protector omnium in te sperantium. da regi nostro N. et regine N. populoque christiano triumphum virtutis tue scienter excolere: ut per te semper reparentur ad veniam. Per dominum. Secretum.

S uscipe domine quesumus preces et hostias ecclesie tue quas pro salute famuli tui regis nostri et regine et protectione fidelium suorum tuorum fidelium populorum tue maiestati offerimus supplicantes ut antiqua brachii tui te operante miracula: superatis inimicis secura tibi serviat christianorum libertas. Per dominum. postcõ.

P resta quesumus omnipotens deus ut per hec sancta misteria que sumpsimus rex noster et regina populusque christianus semper [illegible] rationabilia meditantes: que tibi placita

Marginal note, left: [...]nouas / [...]ge. regn / lib. 1.

License: cc-by – St. Andrews, University of St Andrews Libraries and Museums, Roy BS485.P7C08, fragment 2 verso – Fragments of Sarum Missal (https://fragmentarium.ms/view/page/F-jilc/6605/56154)